

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Dissertatio Exegetico Moralis In Qva prîm eftayîm Sev Ivvenci Labiorvm Ex Hos.  
XIV. 2.**

Ilenae: Litteris Marggrafianis, [1738?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn871027542>

Druck Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn871027542/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn871027542/phys_0001)

DFG

49 d. 5.

49.

Fa-1092(49.)

1. Romani Toller de Philosophismo exegeticis. Lipp 1790.
2. Herm. Christ. En galilean Pentateuch dictiorum scripturarum V. T. a man. gesta puer. Jeune eradicatorum. Rostock 1720.
3. Jo. Christian. Kleminas de veritate historicae doctrinae. Profanae ex monumentis historicis usq; politissimis institutis adfracta Vol 1776.
4. Jo. Friedr. Cottae specimen secundum ad Gen III, 22. Got 1738.
5. Prog. de acquisitione Regis Patrii in satisfactione Iesu Christi ad Jan VIII, 21. Mezum 1790.
6. Phil. Dan. Krauter de sensu literali promissionum et brabantis et injuriarum famini epes factarum. ad Gen XXII, 3, XXII, 10, Gal III, 16. Ica. 1738.
7. Jerem. Friederici de angel redemptore Patriarche Jacobi collaboratore ad Gen XXII, 26. & XVIII, 15. Hof XII, 4. Lipp 1729.
8. Friedr. Guid. Stromayer de Jacobi de Jaffa missivario ad Gen XXIX.
9. 14. 15. 1702. Friedr. Andraghi de benedictione Iudee ad Gen XXIX. & 12 Gen.
10. Henr. Scholtzius de II 1792 ad Gen. XXIII, 26. Alton, 1790.
11. Prog. de ad Exod XII, 15. Lipp 1736.
12. Friedr. Bern. Kettnerus de sanguine foderis ad Exod XXIV, 5. Lipp 1700.
13. Gottf. Siegf. de functione Fodoris Sacrae ad Gen XXI, 10-11. Drem 1708.
14. Georg Michael Diederlinus de Candelabris Iudaicis facies ad Exod. XLV. Wittenb. 1711.
15. Jo. Christi. Habenstreit de sacrificio et peccato offereando ad Gen. V, 1-26. Lipp 1739.
16. Sam. Andreae de aduerso nunquam legi cuius imputo ad Gen XI, v. 20. Marp 1605.
17. a. Jo. Mart. Haefius de jure iurandi. Iudeo aetate perscripto ad Jos. 18. Got 1737.
17. b. Jur. Geor. Zetnerus de Debetis inter Propheticas eruditione et 1700.
18. Progr. ad Iff 2 Lam VIII, 12 Lipp 1738.
19. Christ. Sam. Scherpus de Duae contra Nabatens ad Lam XXVI, 22 Lipp 1700.
20. Ann. Geor. Wahlen de Endorenpi Prostigia abrude. ad 1 Ban ad VIII, 16 173.
21. Dem. de Danie, m. ab Ibarum vitorum, cum aliis numer exento got ad 2 Ban VIII, 2. Got 1738.

35.  
34.  
33.  
32.  
31.

11. 26.  
11.  
1.

DFG



22. Petrus. Rebellius de David peccante et presentante ad adam  
 xxi. et i. Paralipomenon. xii. Argent 1605 rec 1703.
23. Sam. Aug. Sunghard de terra Ephir lxxij 1737.
24. Geor. Christo. Dackfeld de vocatione Elias ad reg. xxv. 16. dixij 1700.
25. Lau. Otto Wahrendorfius de resurrectione Iesu cum soterie facta  
 cum Paralipomenis Crispus Gote 1738.
26. Seb. Gibrid. Larens Dis. in loca quendam Palmarum Davidis in  
 laudem regis sui et dei eius vindicationis melle adhibita Goiphis  
 1706.
27. Prope de Regis erythrae elegies ad p. II. Helmst. 1713.  
 Paul Giongjofsi a Pettijen de corone D. E. per cometar. ad p. II  
 epocae
28. XIV. Z. Franck in Viadr. 1727.
29. Jo. Geor. Naumannus de ipso melioris vita ad 17 XVIII. 15. Witreb  
 1701 recd 1716
- Christo: Aug. Hermannii Commentarius in p. XXI. 15. Gote 1730.
30. Geor. Ludov. Oedaeus de Pane Angelorum ad p. LXXXVII. 25. Ored. 1730.
31. Paul Giongjofsi a Pettijen de aureo candelabro templi ad XXV. 3. 1730.
- Lau. XXIV. 4. Agriacis II. 1. symbolo Davidis ad p. LXIX. 15. Tost 1730.
33. Geor. Ludov. Oederius Commentatio in Proverb. XXIV. Ored. 1704.
34. Eurden Commentatio c. Jes VII. 8. g. id 1724.
35. Joh. Petri. Koeberus de p. 53. Jes 12. 6. grecia 1662.
36. Jo. Phil. Helferius de Christ uero Deo ad Jes XLVI. 14. 15. Regio  
 1605. Wes. Hamb 1739.
37. Mich. Waelherus de Christo Deo alfordito ad Jes XLVI. 15. Witreb 1690.
38. Joh. Jac. Bosius de Spontae ornata splendoris ecclesiae & T symbolo  
 ad p. XLIX. 10. Lips 1728.
39. Joh. Reisperius de pluvia mystica ad Jes. LV. 10. 11. Witreb 1675.
40. Joh. Geor. Michaels de carne symbolo Prophetar. ad Jes. LVI. 10. 11. Fost 1730.
41. Joh. Christ. Helenstreit de Iesuare Crys ad III. com. 19 iiii. Diuallen  
 do dix 1737.
42. Dietr. Kern. Rommerich de eloquentia Jeremias ad Jerem II.  
 Lips 1703.

43. Andr. Daniel Habicht opus de gloriis et honoribus Iesu Christi ad  
 dies datis ad Zach. 14. 28. Roff. 1699.
44. Georg. Fidr. Wicel de jaceund Cathorum ad Hag. XIV, 2. Hen.  
 1710.
45. Jo. Wih. Bolleg Jonar illustratus et vindicatus contra Herem  
 von der Hardt. At Halberst. 1720.
46. Carp. Gotfr. Mendius de gloria templi seuandi ad Hag. II, 10.  
 1661. ruf. Jen. 1719.
47. Jon. Cos. Schrammius de concordia <sup>d. sonoris</sup> de gloria templi seuandi ad  
 Hag. II, 10. et Actos II, 1. Helv. 1718.
48. Ioseph de sanatione in aliis foliis iustitiae ad Malach. IV.  
 1. ger. 1797.
49. Gust. Geor. Geltnerius de origine crudita Iudea per transmarinam  
 doceat ad Zach. VI, 7. Met. 1717.
50. Jon. Cos. Schrammius de shaccabao de resurrectione mortuorum  
 veritatis testibus ad 2 Malach. VII, 1. Helv. 1708.

35.  
 34.  
 33.  
 32.  
 31.

11.26.

4

1.

18.

11.

11.

11.

DFG





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn871027542/phys\\_0006](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn871027542/phys_0006)

DFG


35.  
34.  
33.  
32.  
31.

5

11.26.

1.

1.



44.

בשחכבות

DISSERTATIO EXEGETICO MORALIS  
IN QVA

פְּרִילֵם שְׁפָהַלְמָן

SEV

IVVENCI LABIORVM  
EX HOS. XIV. 2.

---


Die Garren der Luppen.

---

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
WILHELMO HENRICO  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAE RELIQUA  
AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSU  
PRAESIDE  
GEORGIO FRIDERICO WIBELIO  
PHIL. MAG.  
IN PUBLICVM CONFLICTVM PRODVCVNTVR  
DEFENDENTE  
IOHANNE FRIDERICO MAYERO  
PHIL. ATQVE THEOL. STVD. HERBSTRVSANO HOPENLOICO  
AD DIEM XIX. DECEMBRIS A. O. R. cIccXXXVIII.  
IENAE, LITTERIS MARGGRAFIANIS.

45.

4





§. I.



Vilibet, qui loquitur, si quidem ratione non plane destitutus sit, cum verbis orationis suæ seorsim consideratis aliquem semper significatum, in conjunctione vero spectatis, sensum aliquem connectit. Scilicet omnis sermo judicia sub terminis repræsentata exprimit. Ejusmodi judicium sub terminis repræsentatum vocant *sensum orationis*. Si quis vero sit, qui sensum orationis inventiat, is auctoris orationem *interpretari* dicitur. Cum vero, quicquid sit, secundum regulas seu leges peragi debeat; ideo necessario dantur regulæ interpretandi, quæ in formam scientiæ redactæ *Hermenœticam* constituunt. Qua de re satis apertum

A 2

est,

est, hermeneuticam propterea, quod viam monstrat  
ad sensum orationis inveniendum, unicum ad ve-  
ram cujusque libri interpretationem superesse re-  
medium.

Sunt, qui existimant, interpretationem non dari nisi in locis cuiuslibet libri obscuris, cum non opus sit in locis per se claris interpretationem instituere. Duo vero considerationes in transitu quasi monebimus. Primo quidem ex his, quod interpretatione non opus sit, nunquam elicies: Ergo non datus locorum, que per se sunt perspicua, interpretatio. Ab inutili enim ad impossibile non valer consequentia. Deinde exegesis cum interpretatione facile confunditur. Tametsi enim verbis respondeant judicia per se clara, ideo tamen fas erit ejusmodi judicia eruendi utrum ex aliis veritatis hic maxime spectantibus lucem affundere atque rem exegeticę tractare opus sit minime. Si interpretationem vocabis actum, in quo difficulter invenimus sensum, quid tibi ille nominatur, in quo indagatur facile? Qui majus & minus speciem variare existimaret, is omnem Logisticum colorem ad justam provocaret vindictam.

## §. II

Librum igitur sive sacrum sive profanum interpretatur, objectum, quod in oratione describitur, cognitum habeat antea atque perspectum. Nam rerum conceptus sub terminis comprehensos querit. Cuicunque vero rerum interpretandarum conceptus nondum sunt cogniti, ei etiam non suggerentur per

per terminos, qui considerantur ut soni nudi, qui conceptum excitare nequeunt rerum ignaro. Sic ex. gr. rebus militaribus praefectus librum de rebus bellicis agentem melius novit interpretari, quam sacram codicem.

Hocce innititur fundamento quæstio illa in Theologia controversa: Num homo regenitus omnibus ad interpretandum do-  
tibus naturalibus & studio acquisitis instructus, melius possit in-  
terpretari sacram scripturam quam iregenitus sub iisdem positus  
conditionibus? Quod omnino suo modo affirmandum. Nam  
cognitæ regenito jamjam sunt veritates divinæ in sacris litteris re-  
velatae etiam per experientiam. Cum e contrario iregenitus hoc  
sibi attribuere nequeat; nullam enim habet harum veritatum  
notitiam vivam, consequenter eas, qua pars est indagine  
explanare nequit: quamquam vis ipsa sacrarum litterarum  
non mutetur. Unicum saltem, ut res momentos clarius eva-  
dat, adjiciemus exemplum. Amor erga Jesum Christum arden-  
tissimus in hominis vere fidelis anima eum excitat statim, ad  
quem sine illo amore pervenire non licet. Ponas igitur, scriptu-  
ram sacram verbis anime sacraæ illum statim exhibere, tunc cer-  
te vir naturalibus quidem virtutibus ornatus, Christiani vero af-  
flectus expers nunquam cogitando id plene assuetur, quod ille  
cognoscere debet, qui verum verborum sensum cum re simul con-  
cipere velit. Quid cogitabit ille, si pia mens gaudium amplifi-  
catione doctrinæ Christianæ perceptum exponet? quamnam sen-  
tiet ille tristitiam, quando mundi machinationes ad delendam  
Christi gloriam commemorantur. Ex his facile iudicium fieri potest  
de reliquis.

A 3

§. III.

## §. III.

Scriptorum antiquorum interpres priores mundi periodos, quibus illa, quæ interpretatur, litteris sunt consignata, consulat oportet; ut eo clariores fiant omnes ad verum sensum eruendum requisitæ circumstantiæ. Quare notus ei sit locus, ubi res extiterunt, & tempus, in quo res evenerunt. Singulari igitur, quod grato est agnoscendum animo, divina sapientia est effectum, ut Numen illud divinum nobis in scriptis propheticis alias explanatu difficilioribus gratia sua succurrere voluerit, quandoquidem in fronte statim librorum propheticorum locum & tempus, quando oracula sunt edita, determinavit.

Inde est, quod infelicissimo saepe ausu scripture sacre interpretationem trahent, qui antiquitatem & historiæ veteris sunt ignari. Sicubi vero monumenta antiquiora plane interierunt, vel nullam, vel certe exiguum verissimum partem acquirimus. Quis vestimenta veterum, quis instrumenta musica hebreorum & quæ sunt reliqua, eo acumine depinget, qua veritate atque certitudine illud negotium suscipere possemus, si aut ipsa adhuc dictarum rerum supercillient specimen, aut perspicua saltem earum descriptio ad nostra pervenisset tempora? Dicas quæso, cur Dudaim Rubenitica, eur hebreorum Borith parum distincte exponas?

## §. IV.

Quicunque igitur in explanando sacro codice non

tion eo respicit; ut per temporis atque loci indica-  
tione in illam rem, quæ sive secundum essentiam, sive  
secundum attributa & modos, sive secundum actio-  
nes & passiones litteris est consignata, cognitam red-  
dat, is parum proficiet; maxime ad interpretandum  
necessaria parte neglecta.

§. V.

Antequam vero scias, quid prædicetur de reali-  
ceptum est, ut prius intelligas, quid sit id, de quo præ-  
dicetur? Quam ob rem, ut in alio omni, ita etiam in  
prophetico sermone subiectum orationis, quam expla-  
nandam sumimus, inquirendum est primum. Hoc ipsum  
vero sit evidens partim ex ipsis sacrae scripturæ verbis,  
partim ex historia illa tempora describente.

Mirum certe videri posset quibusdam, quod subiecti indagatio-  
nem sacro interpreti præ ceteris commendemus, cum tamen non  
rara eiusmodi occurrant vaticinia, in quibus ipsum subiectum per  
prædicata sit non modo eruendum, sed etiam explanandum.  
Sic fieri omnino posse suo jure negabit adversarius, ut sagacissimus  
quisque subiectum divinetus, quod Elia Cap. XVIII. innuit.  
Cognoscet quidem vindictam divinam persequi gentem aliquam;  
quæcumque vero illa sit, quove nomine vocetur, id plane ignotum  
esse, cum nec vola nec vestigium extet: Potius ipsum popu-  
lum ex prædicatis esse agnoscendum suoque nomine insignien-  
dum. Sed quis non videt, nos tunc demum subiectum indagari  
velle, si nempe aliquod in scriptis commemoratum extet & sic fa-  
cile dubitatio nostra sententia contraria evanescet.

§. VI.

## §. VI.

Continua igitur serie ad subjectum orationis propheticæ properabimus. Ultima hæc sunt prophetæ Hoseanæ verba; ad ultima igitur sunt restringenda tempora, in quibus vaticinum protulit: ad tempus nempe regiminis Hiskiæ regis Jehudæ & Jeroboami secundi, Regis Israelis. Edidit enim, quascunque protulit orationes, cum principatum in regno Israe litico obtineret Jeroboamus secundus; Uffias, Jotham, Achas atque Hiskias vero imperio Hierosolymæ præsenterent. Hanc ipsam vero sententiam extra omnem dubitationis aleam esse positam ideo contendimus, cum ipse Hoseas Cap. I. 1. illius rei sit auctor atque testis.

*Non tamen temporis spatium, quo vaticinatus est Hoseas, ita est capendum, ac si per omnes integros annos, qui simul sumuntur absolvunt tempus CXXII. annorum, quibus li Reges regimini præfuerunt, vaticinia sua protulisset, sed ablatis in fine annis nonnullis Jehiskiæ, ad cuius regnum ejus pervenerunt vaticinia, & similiter demitis in principio quibusdam annis Uffia, non tamen nimis multis, sed solis primis. Unde constat, debere minimum Hoseas annos 50. vel 60. sed & posse commode satis 80. vaticinandi dari. Ex his evidens est, nostrum prophetam coetaneum fuisse Jesaiæ, qui sub quatuor iisis Judæ regibus vaticinatus est. Jes. I. 1. & Amos, mentionem facienti Uffia & Jeroboami Cap. I. 1. quin etiam Miche vaticinato sub Jotham, Achas & Hiskia. Omnia dictorum regum res gestas perlegere cupiens evolvat 2. Reg. XV. 2. 33. XVI. 2. XVIII. 20. 2. Chron. XXVI. 3. XXVII. 1. XXVIII. 1. XXIX. 1.*

## §. VII.

## §. VII.

Sub pio Hiskiæ regimine, impioque Jeroboami imperio non tribus Juda solum, sed populus potissimum Israeliticus, quo nomine decem separatas tribus sepius scriptura sacra exprimit, ea singula peregerunt, quæ a voluntate divina & a promissis Judæorum profus abhorrebat.

Obedientiam Deo in terram sanctam Judæos dutenti sacrabat universus populus Israeliticus, sed mox a pacis seque federe descendentibus perfidiae rei facti sunt; quæ etiam in causa sunt, cur singuli fere prophetæ populum peccantem בָּגָר by appellarent, id est, gentem Deo propter horrendam perfidiam maxime abominabilem. Serviebant Diis alienis, eisque gloriam, quam Deus ibi ubique solam vindicat, Deique celerrimum nomen auro, argento, lapidibus, quin ipsi quoque ligno vilissimo atque levissimo, injurii in supremum totius universi dominum, continebant.

## §. VIII.

Notum est, peccata fieri eo graviora, quo formior negligatur obligatio, quo majora commoda repudiamus & mala cum pravis actionibus connexa nobis ipsi immittimus; id autem tunc certe fieri perspicuum est, si imperio summa maiestate conspicuo repugnamus. Ex his evincimus, quod nemo facile in dubium vocabit, populum Judaicum illo tempore gravissimis peccatis oneratum sub reatu infelicissimo atque maxime pernitoso vixisse,

B

§. IX.

## §. IX.

Deus vi justitiae suae perfectae necessario peccata punire debet, eo enim intermissio indulgere illis vide-  
retur, adeoque causa esset peccati. Quod igitur si ita  
est, ut aliter esse nequit, omnino sequitur, quod ma-  
las hominum actiones mala consequantur consecutaria.

## §. X.

Cum vero non quisque possit peccatorum confe-  
quens secundum determinationes suas speciales & ob  
id ipsum tam clare prævidere, ideo divina sapientia pœ-  
nas futuras propter actiones præteritas vel ob eam solam  
rationem populo misero plena luce per prophetarum  
vaticinia ob oculos posuit, ut a gravioribus delictis  
vehementissimo terrore commoti eo facilius abstrahen-  
tur.

## §. XI.

Jam nota est nobis vaticinii præsentis occasio, no-  
tum est subjectum, nota sunt ejus prædicata; superest,  
ut in specie ad illud comma, quod nos potissimum tra-  
ctandum sumsimus, descendamus, & quid ibi signifce-  
tur, quis nexus cum antecedentibus, quo possumus stu-  
dio, inquiramus.

## §. XII.

Quilibet homo vi naturæ suæ malum aversatur;

qua-

quærit igitur media, pœnam promeritam, quam timet,  
a se devolvendi. Quo major vero est pœna peccati,  
eo timidior est, eoque avidiori quærit animo casum im-  
minentem effugere; nihil autem ordine fit sine mediis,  
ubique igitur quærit viam evitandi pœnam; illius ergo  
implorat auxilium, qui magis quam alii ipsi succurrere  
valet atque efficere, ne mala actionum consecutaria eve-  
niant.

## §. XIII.

Deus Cap. præcedenti XIII. maximas toti populo  
Israelicō denuntiabat pœnas; quandoquidem sese in  
illis extirpandis repræsentat sub-schemate leonis atque  
ursi crudelis ad iræ lux magnitudinem exprimendam;  
quapropter populus Israelicus media quærit ex hocce  
se expediens periculon. Consulit voluntatis divinæ in-  
terpretē Hoseam in præsenti, qua premuntur calami-  
tatis casu; Qui declarat, se nosse quidem unum, qui  
peccata eorum deleturus atque pœnam promeritam  
ablaturus sit, vaticinium autem de hacce agens libera-  
tione ad ultima Messia adhuc venturi tempora esse re-  
strictum, fide ergo eum accipiendum? Nihil igitur reli-  
quum esse asserit, quam, ut Deum justum, quem iniqui-  
tibus gravioribus offenderunt, propitium reddant,  
cum præsertim alia haud supersit via pœnas promeritas  
avertendi; hocce autem fieri posse per seriam & since-  
ram pœnitentiam cum vera cordis contritione & fide

B 2

con-

conunctam, futuramque vitæ emendationem: Si Deus enim velit, omnino posse suam avertere iram, si autem propter fidem sibi repræsentet ut bonum pœnam aveniandi, omnino velle: si igitur Dei honorem de-nuntiarent, eumque laudibus celebrarent atque grates ei pro beneficiis acceptis persolverent, hoc certe Deo acceptum esse, quippe qui nihil aliud a mortalibus requirat, quam gloriæ suæ divulgationem: vult ergo Propheta, ut ad Deum accedant sequenti sermone :

כל־תשא עין וקח־טוב ונשלמה פרים שפתחתך

*Omnem condona iniquitatem, & suscipe bonum, tribuemus tibi  
eum juvencos labiorum nostrorum.*

§. XIV.

Priusquam sensum in hac versione contentum ulteriorius indagemus, opus est omnino, ut cum, quem nos quidem assumimus, in verbis prophetæ latere probemus: Duæ igitur partes sunt absolvenda: in primo quidem id agendum est, ut cuilibet pateat lectori, Hoseam eis, quæ proposuimus, verbis, id quod nos judicamus, exprimere potuisse; deinde, cum a possibilitate ad existentiam nulla certa sit conclusio, adducendæ sunt rationes, quæ confirmant, hunc nec alium sensum revera commati inesse propheticō.

§. XV.

**Non** diu autem habebimus in possibilitate versio-

nis

nis nostræ demonstranda, quandoquidem inter omnes constat וְזַהֲתָ וְזַהֲתָ vijetymologiæ tantum significare posse scipere bonum וְזַהֲתָ pro malo. Verbum וְזַהֲתָ hoc loco ex conjugatione Piel desumum ex generali significacione radicis וְלִשְׁׂה ortum trahit, notat autem commemorata radix perfectionem in Kal intransitivam, in Piel transitivam. Id quod non solum locorum convenientium rationes manifestant, sed lexicographorum quoque testimonia confirmant; Sicubi vero perficimus aliquid alteri, hoc ipsum vel fit solvendo vel compensando, aut alio quoecunque modo tribuendo; inde factum est, ut plurimi interpretes radici וְלִשְׁׂה interdum *tribuendi*, *solvendi* interdum, alias *compensandi* notionem suo jure adjecerint.

## ס. XIV.

וְלִשְׁׂה quoad terminum inallamus ex וְזַהֲתָ quam וְלִשְׁׂה quoad significatum vero potius ex hoc quam ex illo deducere; Satis autem manifestum est, Hebræos sèpius ita formasse voces suas, ut nomen aliquod significatum ex alia longe imperfectæ radicis specie acquirat quam constructionem termini sui. Quod autem duplice fontem huic voci constituamus, ideo fit, quod nomen וְלִשְׁׂה cum patach occurrat, ex quo formationem ex gemitibus וְזַהֲתָ desumptam non obscure forsitan colligere possumus. Vix enim unquam alterius formæ eam habebis constitutionem. Nec possumus vero ex hac sola radice totam

totam hanc vocem deducere, cum significatum lengis-  
sime remotum & a significatione juvenci recedentem  
suppeditet. Nolumus autem in dissimilitudine simili-  
tudinem & in mutabili aliqua determinatione necessa-  
rium aliquem & essentialēm conceptum quārere. Tu-  
tius igitur vocem פָּנָה ex פָּנָה quam פָּנָה natam statuimus;  
Nam Arabum mōre eam indicat notionem, quam lati-  
nis effervescere significat. Hicce igitur ita constitutis פָּנָה  
juvencum, id est, בְּנֵי פָּנָה servidae atatis annos agentem  
infert. Hac ratione פָּנָה in boum genere eam exhibit  
significationem, quam פָּנָה apud homines tuetur. Ri-  
diculus ergo est is deducendi modus, quem multi rei  
criticæ periti defendunt, ut virum etiam tricesimum  
jam annum agentem ab excusione appellare non dubi-  
tent. Quidni פָּנָה eum esse defenderes, qui florente  
ac servida juventute floret?

## §. XVII.

פָּנָה ex nomine פָּנָה adjecta dualis numeri ter-  
minatione, ortum trahere ita manifestum est, ut nemo  
linguæ Hebrææ primis initiosis institutus, adeo ignarus sit,  
qui hoc nesciat. Ipsum vero פָּנָה ex eo, quod voca-  
jem primam in (:) mutabilem habeat, ut ex פָּנָה  
cognoscimus ex פָּנָה natum esse, pariter vel ob hoc so-  
lum conveniens est, quod Arabes per פָּנָה indicant  
orare.

## §. XVIII.

S. XVIII.

Vix quisquam negabit, Paragraphos antecedentes id probare, quod in paragrapho XIV. promisimus. Si enim significatum verborum jam separatim demonstratum conjunctim contemplari velis, non erit, quod in probanda possibilitate translationis nostra in transversum agat quemquam.

S. XIX.

Antequam hac re perfecta ad id accedamus, ut versionem nostram cum sententia spiritus sancti non solum convenire posse, sed actu eundem prorsus sensum tueri ostendamus, paucas ex philosophorum discipulis veritates huc conjiciendas arbitramur.

S. XX.

Necessariam rem illi vocant, cuius opposita sibi repugnet. Inde autem legitime inferunt, necessarium unica saltim ratione consistere posse. Alias enim id, quod necessario opponatur non omnem omnino contradictionem involveret, id quod concessa hypothesi repugnaret, cum eo ipso definitionem antea ultro largitam everteres. Porro concedendum est, omne id, quod unica saltim ratione assumi queat, esse necessarium, si enim rei oppositum stabilire non licet, erit necessaria; Vbi vero aliquid unico saltim modo dare possis, omnis oppositus modus erit absurdus; adeoque verum est

est concianum illud veterum philosophorum judicium  
verbis minus elegantibus positum: Id quod unicitatem  
determinabilitatis suæ habet, est necessarium.

§. XXI.

Facilis iam erit sequens argumentatio: Quicquid  
unico saltē modo assumi potest, id necessarium erit;  
Verba spiritus sancti supra commemorata unica saltim  
ratione proprie possumus interpretari; Necessario igitur  
verus est is sensus, quem paulo ante verum esse stabili-  
vimus.

§. XXII.

Nunc ad ultimam philologicę tractationis partem  
ducimur, quæ in eo consistit, ut probemus, verbis in-  
esse sensum improprium. Prioribus quidem typi pro-  
phetici verbis, proprius isque unicus competit sensus:  
Cum vero in posterioribus contradictio oriatur, si pro-  
prium ubique significatum retinere velis, ideo necessi-  
tate quadam cogimur proprium significatum deserendi  
atque improprium eooptandi.

§. XXIII.

In hominum labiis aut per hominum labia juven-  
cos offerri proprio sensu nominatos ita incongruum  
est, quam quod absurdissimum. Sunt itaque juveni-  
laborum improprie sic dicti. Supereft, ut naturam  
ter-

terminorum propriorum non minus quam impro-  
priorum , antequam ad specialiora progrediamur,  
consideremus , ut evidens judicium de nostro casu  
fieri possit, desumptum ex illis , quæ de termino pro-  
prio pariter quam in proprio in genere sunt præ-  
dicata.

§. XXIV.

Termini sunt soni articulati oris ad ideas signifi-  
candas destinati. Jam vero signorum essentia in eo  
consistit, ut aliqua res excitet cogitationem alterius  
rei: signum nimurum est res praesens , altera vero  
res , cuius cogitatio signum cogitando excitatur,  
ubique est absens. A cogitatione ad cogitationem rei  
absentis sola nos dicit imaginatio. Quam ob rem  
signa etiam significare debent secundum imaginan-  
di leges. Signa ergo non minus quam termini signi-  
ficare debent.

§. XXV.

In Psychologia Empyrica ostendunt philosophi,  
duas esse leges , secundum quas imaginatio ideas re-  
rum absentium adducat : scilicet occasione sensatio-  
nis excitat cogitationem rei absentis , quam vel cum  
re per sensus percepta simul cogitavimus , vel eam ,

C

quæ

quæ similitudinem cum re præsenti præ se fert. Ex his efficiuntur, omnem terminum significando hanc regulam sequi. Quicquid vero aliqua vox significat id vel immediate vel mediate præstat. Hinc utroque modo secundum eas, quas paulo ante commemoravimus regulas dirigitur. Idea quam terminus immediate excitat dicitur propria, mediate vero impropria. Quatenus vero terminus aliquam ideam immediate significat, eatenus *proprius* dici solet; Si qua vero idea, cui terminus per se destinatus non est, mediante alia interveniente idea oriatur, tunc terminus respectu ideæ mediate natæ *improprius* dicitur. Ulterius notamus, cum cogitatio mediata per immediatam excitetur per imaginationem, ideo terminus improprius vel secundum similitudinis vel secundum conjunctionis legem fit improprius. Sunt autem duæ, quod diximus, imaginandi leges: hinc duæ quoque termini improprii species; altera per conjunctionem, per similitudinem nata altera. Terminus, qui ideam propter similitudinem cum significatu proprio adductam significat dicitur *mētaphoricus* qui vero ideam cum propria conjunctione indicat vocatur *metonymicus*.

## §. XXVI.

§. XXVI.

Deserta Synecdoche ad metaphoram nos potissimum convertimus; cum illa a scopo aliena, hæc vero quam maxime in interpretatione, quam nos suscepimus, urgenda videatur. Ut autem cogitata nostra in compendium mittamus, notanda sunt ea, quæ sequuntur. Fac terminum exhibere, ut hoc potissimum utar, solem. Fingas porro, te inter solem & principem comparata utriusque notionem hanc similitudinem deprehendere: solem esse elatum, splendidum atque illustrissimum, a cuius actione hominum & vita & salus dependeat; principem vero iisdem notari characteribus. Sic sole conspecto facile principis idea occurrit per legem imaginandi, tu vero hanc principis ideam mediante solis idea natam nomine solis exhibebis.

§. XXVII.

Ad unum idemque vero redit: Num primo solis ideam cogites, & idea principis per imaginationem occurrat, utrum vero principis ideam primo representes, eique terminum solis, cuius idea posterior fuit, tribuas? Applicetur hæc ultima thesis, quæ ad nostrum potissimum quadrat casum.

C 2

§. XXIX.

## §. XXVIII.

Qui indolem atque naturam animi humani non ignorant, facile largientur, omne sacrificiorum genus suo modo ex eo originem petere, quod illi, quem amamus, aut cuius amorem exoptamus, quodque ex rebus nostris lautissimum atque præstantissimum offeramus. Hinc etiam hebræis מִנְחָה atque שְׁלֹמָה a donando atque offerendo appellantur. Si ad simplicem pristinoris orbis statum revertaris, facile cognosces, omnem rerum externarum copiam, divitiasque omnes in animalibus & frugibus terræ constitisse. Inde quicquid homines de rebus suis ad amorem & reverentiam significandam Deo dare potuerunt, id omne vel ad res animatas vel inanimatas pertinebat.

Nullus est, qui non videat, instinctu etiam naturali Abelem pariter ac Cainum quedam modo commoveri potuisse ad primicias preventus sei ( iste enim procul dubio, quantum nostra nos docet natura, sunt gratissimæ ) Deo donandas. Non ignoramus quidem, aliquos factarum litterarum interpres reperi, qui sacrificia naturali instinctu oblata plane admittere nolint. Illi, quantum nobis quidem concilere licet, pia sane mente adducti verentur, ne typica salvatorem nostrum per sacrificia cruenta exhibendi ratio plane intereat. Nobis vero, si quidem sententiam nostram libere proferri concessum sit, longe alia in animo residet sententia. Deus, cui naturalis sacrificandi modus non displiceret, hominibus infelicissimo priuorum parentum lapsum damnatis indicare voluit, se non posse neque per pœnitentiam solam neque per sacrificia sola, sed per cruentam filii sui in carne exhibiti mactationem placari.

Qua

Qua de re etiam non solum sacrificia, sed modum quoque sacrificandi Judæorum ita disposuit, ut declararet, se sanguine quidem & posse & velle reconciliari; neutquam autem tam vili atque minus estimabili, qui brutorum ceteroquin [lectissimorum] esset, quin potius efficacissimo Christi sanguine, enjus ubique notas exhibuit, justissimam suam iram delendam esse.

§. XXIX.

Quod vero ad modum sacrificandi attinet, ex nostra quidem tenui sententia, salvis tamen doctorum judiciis, hæc habeas: Quicquid meum ultrius esse nolo, sed alteri dono, id ea lege, si id quidem animus amore repletus in alterum transferat, ipsi trado, ut inde perfectiones atque voluptatem capiat. Cum autem homines ex plurimis rebus externis fructum percipere nequeant, nisi consumtis atque destructis, ideo quicquid hoc loco amor alteri offert, id destruendum atque consumendum ipsi tradit. Ad offerendum igitur atque destruendum me perfectiones alterius adiungunt, seu ut locutione apud philosophos recepta utar, perfectiones alterius mihi sunt motiva, quæ me ad rem meam destruendam incitant. Jam vero ad duplex discriminem descendimus: Sicubi me perfectiones alterius ad aliquid negotium instituendum adducunt, hoc ipsum suscipitur vel cum incremento perfectionum illius

C 3

vel

vel sine earum augmento, ita ut actio mea tantum perfectiones alterius significet. Omnis actio, quam propter perfectiones alterius, quas jam possidet, suscitemus, in honorem illius cedit. Quicquid igitur de rebus nostris propter perfectiones alterius destruimus, id vel ad illum honorandum vel novis perfectionibus instruendum intendimus. Sed quod non Theologia naturalis solum, sed revelata potissimum indicat, nos Deum infinita rerum bonitate ornatum, nostris exiguis facultatibus, omnibus divitiis abundantem, magis locupletem reddere non posse. Qua de re homines pio in Deum ardore incensi, quicquid sacrificabant, id omne ad nomen ejus, quod ambitum immensae gloriae ipsius complectitur, honorandum atque celebrandum peregerunt. Quid mirum igitur, quod homines veræ addicti religioni, pecudes easque præstantissimas (optimum enim quodque tribuit amor) in honorem Dei comburendas destinaveriat. Vix enim perfectior rerum destructio concipitur, si a combustione discedas. En fontem quendam atque originem dulcissimam sacrificiorum Deo præ ceteris gratorum, quæ hebræis θησιν græcis ὀλοκαυτώματα dicuntur. Nulla igitur sacrificia Deo oblata erant illi grata, nisi animus reverentia erga illum repletus adsit. Nulla enim rerum externarum opulentia Deus indiget. Quicquid e rerum tuarum numero conspicis, id omne per se Deo supremo totius universi domino debetur. Ex hoc sit,

ut

ut Deus ipse s<sup>e</sup>pius Judaeis in verbo suo declareret, sibi non placere sacrificia atque animalia igne deleta, se unice animum atque indolem hominum respicere. Ubi igitur animus absit, ibi se nolle ulterius tot sacrificiorum destructionem perferre conf. Jesaiæ Cap. I.

## §. XXX.

Nemo est, qui Deum amet, quin fiduciam suam in eo collocet; hæc ipsa vero fiducia amore Dei reciproco nititur. Nemo igitur Deum amat, qui non amorem Dei vicissim expectet. Quicquid itaque is agit, qui amorem alterius expetit, id etiam in animo hominis pie sacrificantis deprehendere poteris. Is qui nos amat nostraque tuetur conimoda, eo quo potest studio fugit defectus; fieri igitur omnino solet, ut versus Dei Cultor ipsis clementiam non solum in delenda iniquitate, sed afferenda quoque felicitate imploret. Si Amor quod diximus sacrificia parit, quid mirum, quod eadem in duas dividat clasies. Alia adducit pro peccatorum ablatione, alia pro beneficiorum impetratione. Hinc ad veritatem maxime accedit eorum sententia, qui omne sacrificiorum genus inter זבָח וְתַהֲרֵת & שְׁלִימָדָה & שְׁלִימָדָה dividunt. Discriben-  
inter זבָח וְתַהֲרֵת & שְׁלִימָדָה ad scopum nostrum non perti-  
nens hoc loco non attingimus; Cum præsertim acu-  
tissimus RELANDVS illud pro more suo egregie ex-  
plicaverit, quod qui legere velit in P. III. Cap. IV. §. 2.  
anti-

antiquitatum sacrarum veterum Hebræorum copiosissime atque doctissime expositum inveniet. Ad וְמִלְחָמָה quod attinet, ea iterum in duas species abeunt. Consecravit enim ejusmodi sacrificium Deo decernens vel propter benignitatem jam a Deo concessam: vel pro beneficiis, quæ desiderabat, impetrandis, illa Hebræis וְמִלְחָמָה hæc vero interdum וְיַדְבָּר interdum וְרֹבֶה Judæis vocantur. Duo nempe posteriora verba duplēm iterum horum speciem significant, quam utramque summe Reverendus Conrad IRENIVS in compendii sui antiquitatum sacrarum P. I. Cap. XIII. §. 28. 29. doctissime proposuit,

## §. XXXI.

Quæritur jam, ad quam speciem sacrificiorum, jacenti a populo summo consecrati Numini, sint referendi. Nullo forsan errore ducti statuere possemus, omnem hoc loco sacrificiorum ambitum intelligi. Non solum enim Dei auxilium pro avertenda delictorum suorum justissima ceteroquin pœna, implorabant, sed gratiam etiam illius pro bonis acquirendis efflagitabant. Præterea, cum peccati pœna ablata, perfectior homo evadat, quam si miser infelici reatu obnoxius vivat; Ipsum misericordia effectum pro singulari beneficio agnoscere debebant. Nondum vero pro beneficio jam sibi concessso immolabant, de salute sua maxime adhuc solliciti; Voto autem in se recipiebant, se qui,

quidem liberatio per Dei misericordiam contingere; tunc se ad votum persolvendum lectissimam mundæ pecudis speciem, scil. juvencos oblaturos esse. Fuerunt igitur juvenci Deo sancte promissi נָבָרָה, qui in ipso oblationis actu iuncti mutabantur. Hæc pauca habebis Benigne Lector, si nostram de istis juvencis ex Hebreorum more decenti nomine insigniendis scire cupias sententiam.

## §. XXXII.

At indigentia & paupertatis memores Judæi prævidebant, affectum propter beneficia a Deo accepta id præstare non posse, quod gratus alioquin animus lubentissime efficit. Ipsa autem gratitudo in amore erga Deum benefactorem consistit, hinc indolem gratitudinis ex natura amoris explicare debemus. Homo, cui nihil supersit, quo aut benefactoris commoda promoteat, aut quod in honorem illius consecret, id minime intendit, ut quavis nata occasione perfectiones, ex quibus larga provenerunt beneficia commemoret, aliisque declareret. Sermo, in quo alteri gratitudinem nostram significamus, dicitur *gratiarum actio*. Sermo autem ille, in quo perfectiones alicujus recensemus vocatur *laudatio*. Nihil igitur sibi hominibus durissimam eamque extremam paupertatem & miseriam sustinentibus superesse credebant, quod pia gratissimaque mens in honorem Dei suscipere possit, quam gratiarum actio nem & celebrationem. Oratio ad quam perfectiones divinae nos impellunt vocatur *precatio*. In solis igitur precibus Deo devote offerendis animum, purissimo affectu repletum, sese exserere posse manifestum est.

D

## §. XXXIII.

## §. XXXIII.

Cogitabant Judæi, afflictam captivitatem sentientes, de sacrificiis Deo reconciliato consecratis. Cogitabant paupertatis memores de precibus in eorum locum propter convenientiam surrogandis. In utroque Deo significabant per etatem; in utroque declarabant gaudium, quod Deus votis suis clementer annuerit. Erat igitur sacrificia salutaria illud ipsum, quod propter similitudinem suam in Judæorum animis precum cogitationem produxit.

## §. XXXIV.

Quicquid cum sacrificio eucharistiae similitudinem habet, id nomine פְּרִים metaphorica loquendi formula commode appellatur. Sed preces populi Judaici maximam præ se ferebant similitudinem sacrificii Judæorum pacifici. Pulcherrima igitur fœcundissimaque loquendi ratione utebantur Judæi preces suas פְּרִים & שְׁלָמִים nominantes. Ut autem sermonem, cuius sensus percipi posset, formarent, quod ab omni homine, si ingeptum & imprudentem non respicias, æquus quisque concipere posset, juvencos propriæ dictos hoc loco non intelligendos. Hac mente egregiam notam, quæ sacrificia impropria a propriis discerneret, voci פְּרִים adjecerunt. Non possumus quidem labiis nostris tautos Deo offerre, ut tamen ex illis, quæ Deo grata atque accepta videri possunt, solas preces, qua de re nos quidem existimamus, maxima concinnitate preces suas per שְׁפָתֵינוּ פְּרִים Judæos indicasse.

## §. XXXV.

## §. XXXV.

Dux adhuc coronidis loco enucleandæ sunt quæstiones. *Prima est*: Num Vates Hoseas ad tempora novi Testamenti in toto præsenti Capite respexerit. Resp. Nos quidem, si ingenuæ sententiam profiteri fas est, nolumus inficiari. Chistum statumque novi Testamenti hisce innui verbis, sed num per convictionem & per principia hermenevtica illud possit dici, est quod adhuc dubium videtur; cum omnia commode satis possint applicari ad objectum proprius, nempe ad captivitatem, in quam populus Judaicus deductus. Præterea hoc unicum suadere videtur seopus prophetæ. Nolumus honori Jesu Christi salvatoris nostri hac sententia quidquam detractum; Si ille vel aliquam vel totam sanctissimæ suæ institutionis partem hic revelavit, verendum, ne nomine Christiano indignum facinus committeremus, si quidem honorem nostri, quem modo adoravimus, salvatoris abscondere vellemus. Absit a nobis tale flagitium. Interim tamen fateri cogimur, nos exigua, quæ nobis concessa est virium mensura, arduum hocce negotium expedire non posse. Nec quisquam forsitan interpres facile reperiatur (nos certe invenimus neminem,) qui id magis evidentiibus rationibus demonstret, quam pro affectu finget.

*Quæstio secunda*: Num in novo Testam. nempe Heb. XIII. allegatio hujus dicti sit facta? Resp. Modo certi essemus in N. T. hunc locum in eorum numero adduci, qui salvatoris venturi conditionem præfigurabant scimus quidem aliquos interpres majori forsitan audacia, quam veritate statuere, divum Paulum Hebr. XIII. hoc dictum, tametsi non quoad verba, tamen quoad sensum allegare. Sed pace tantorum Virorum monitus:

mus : A parallelismo verbali ad parallelismum realem nullam esse consequentiam. Undenam probarent, Paulum verba, quæ minimam tantum convenientiam habent, ex Hosea petuisse; & si hoc ultro largiremur, num propterea de re eadem sermonem fecit. de qua Hoseas loquebatur. Accipis hanc in rem B. Joh. Henrici Maji verba ex Lib. IV. observationum sacrarum pag. 61. Probari, inquit nequit, aut Hoseam ex Paulo, aut hunc ex illo esse exponendum. Neque enim in simili versantur materia, neque ullum adest judicium, unde auctorem epistolæ ad Hebreos oraculum Hosseanum in animo habuisse liquido constat. Sola profecto phrasis καρπὸς χειλέων nondum evincit, quod viri boni vellere, siquidem illa & in proverbii recurrit Cap. XXXI. 31. δοτὶ ἀντῆ αὐτῷ καρπῶν χειλέων ἀντῆς. Esque similis hebraica Ies. LVII. 19, בְּנֵי שָׁבֵת proventus labiorum, que verba si translata compararent in LXX. viralii editione, quis dubitet, per καρπὸν χειλέων fuisse redditia? At nunc ea desideramus. Mea est conjectura, usitatum fuisse dicendi genus καρπὸς χειλέων, & stilo in primis Hellenistarum congruens ita, ut nec Hosea, nec Davidis, nec Jesaiæ etiam locum exprimere debuerit volueritque divinus in N.T. Scriptor liberrime sine ullo ad antiquorum aliquem respectu, tristissima locutione verba circumloquens fructum labiorum.

F I N I S.
















Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn871027542/phys\\_0042](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn871027542/phys_0042)

DFG



ias & contemptus reportet, in tali præprimis urbe, quæ non consueverat audi-  
 betas Judæos, "in extraordinaria legatione," quæ tamen non plane pro inu-  
 ne opus vid. Daniel in Babylonia, nec valet, illum fuisse Prophetam dono, non  
 prophetam fuisse, Belzaro. C. 7. Nebucadnezaro C. II. Aliisque  
 Act. 9. Math. 15. Christus ipse. Deinde Judæi permuli per-  
 ibus, quorum & misereri volebat Deus cum Judæis & propter Judæos, sicut olim  
 hum Gen XIX. 21 vel decem justos Gen. XVIII. & sicut precipuum momentum  
 randi ratio trahere forsan posuit ex extraordinaria Jona legatione Niniven, ita  
 est h. l. temporis ratio quæ orania Enigmata pessundat, destruit ex aper-  
 t. coll. Math. XI. Accedit, memoraram Historiam de Phaorte & Cyaxare in tem-  
 pe, quod Basis est, plane neque oppugnatio, neque expugnatio ulla urbis Ni-  
 potest, quia nonita Hapach in hac significacione h.l. interpretari decet sicut רְדָם  
 pro vero sopore occurrit, sicut ubivis obviam est. Haepcha vero extat semel Gen.  
 versio omnimoda extat, qualis fuit Sodomæ, Deut. 29. 23.  
 18. C. 50. 40. Am. 4. II. "Ergo extraordinaria fuit eversio  
 & Sodomæ similis, quod & ceteræ comprobant circumstantiae, expectatio Jo-  
 n. 40. sc. dierum, ædificatio tabernaculi, quando cœlitus ignis hanc urbem con-  
 terræ motum illam destrueret, ut terra os suum aperiat, illamque devoret Sam,  
 ia adhuc ad "Oeconomiam temporis Jonæ pertinent 2 Reg. I. IO. II. seq. v. De-  
 mirificis: Nisi excipias legationem velut Ordinariam, propter multos  
 est 480. stadia, vel 8. millaria Germ; magna, Sephinah Superne testa-  
 na literaliter & proprie sunt intelligenda, Amplitudo urbis, Ricinus, umbra,  
 dibus, vel ex alia materia, Lev. 23. 24. Neh. 8. 15. hinc nomen proprium Suc-  
 Gen. 33. 17. Vermis thola à Rad. Lua vorare, quippe qui tantum vorat, &  
 ventre re constar, vel arroendo degluti, Boschartus Hieroz. P. II. C. 27.  
 Eurus, dies atque nox, homines, aurora Solis injurya, Ira Joppe, piscis magnus,  
 opus habeamus hinc inde de ceto Jonæ asservatis, e. g. In domo cathedrali Mag-  
 si, quod tamen ab aliquibus pars de Gigante dicitur, &c. Quibus tandem "tempe-  
 solico - Cholericum sequitur" in quo terrestriores particulæ primas tenerunt,  
 manus, morosus, in statu naturali, quæ tamen "vitia in Jona Renato Gratia  
 e in vitia & criminata prosumpat," nam sic loquimur de naturali inclinatione,  
 inale, si Furca expellere studes, tamen usque semper recurrit, sed non regnat. Et  
 mirabilis mirifice eluet, quod Deus his, mox aliis, aliorumque & diverso-  
 æditorum hominibus utatur, "sicut in ipso stylo SSæ per συγκαλαβοτι  
 um conceptibus se accommodavit ad indolem temperamentum, & conditionem Ama-  
 vit o vid, Musæ introd. XIII. Sic m. h. l. Deus cum Jona & sententia ejus erronea sed  
 osa: quam imbecillitatem humanam, quæ Renatis etiam adhæret, Deus tolerat & exgra-  
 tentissime condonat, sic inter imbecillitates humanas omnino recenseri debent quæ  
 ed humano, labi prono, quod cupiat interitum Niniyes urbis Jonas, it. quod le-  
 t, sed sicut Moses Exad. IV. 10. Jeremias I. 6. aliisque E. humanitus, it. quod ira  
 nbitiæ temperamenti specie, "prædicationem suam exitum annunciatam non  
 in contemptum incideret, & licet alias "Melancholici laborum patientes sint,  
 ntaxat propter commodum suum, Hic Renatus tamen Jonas licet nihil luci spe-  
 s tamen recurrit indignationis & iræ propter solis injuriam, & dolores, Accede-  
 lvities, "fumiusque & intolerabilis folis in tam calida regione æstus, quæ cause  
 ac magis mitigant, excusant, quod inuere videtur vox "Jithaleph," Animo  
 res teguntur quasi, & corpori se subducunt; Quare Deus rogar: Num iuste exar-  
 exempla Iræ frustranæ & ex imbecillitate humana orta in Renatis  
 sunt, Nec Jonæ nostro foli velut crimen magnum hoc imputari potest  
 Moses, licet Deus permittrat, ut Renati sæpe crimina etiam committiant, ut  
 legatione, &c. cum in finem, ut infirmitatis suæ admoneantur, alii ex